

**Die literarische Erfahrung des Exils als Konstruktion des Raums**

*Cassiodor, de orthographie 1 (p.153,6)*

exilium cum 's': ex solo enim ire est, quasi exsolium, quod Graeci ἐξορισμόν dicunt, antiqui exsoles dicebant.

*Plut. Cic. 32*

Ὦς δ' ἦν φανερός ἤδη πεφευγώς, ἐπήγαγεν αὐτῷ φυγῆς ψῆφον ὁ Κλώδιος, καὶ διάγραμμα προϋθήκεν εἶργειν πυρὸς καὶ ὕδατος τὸν ἄνδρα καὶ μὴ παρέχειν στέγην ἐντὸς μιλίων πεντακοσίων Ἰταλίας. .

*Liv. 43,2,10*

Postumio M. Popilio consulibus praetor fuerat. grauissimis criminibus accusati ambo ampliatiq; cum dicenda de integro causa esset, excusati exilii causa solum uertisse. Furius Praeneste, Matienus Tibur exulatum abierunt

*Cic. de domo sua 97*

accepi, pontifices, magnum atque incredibilem dolorem: non nego, neque istam mihi adscisco sapientiam quam non nulli in me requirebant, qui me animo nimis fracto esse atque adflicto loquebantur. An ego poteram, cum a tot rerum tanta varietate diuellerer, quas idcirco praetereo quod ne nunc quidem sine fletu commemorare possum, infitiam me esse hominem et communem naturae sensum repudiare? Tum vero neque illud meum factum laudabile nec beneficium ullum a me in rem publicam profectum dicerem, si quidem ea rei publicae causa reliquisset quibus aequo animo carerem, eamque animi duritiam, sicut corporis, quod cum uritur non sentit, stuporem potius quam virtutem putarem. Suscipere tantos animi dolores, atque ea quae capta urbe accidunt victis stante urbe unum perpeti, et iam se videre distrahi a complexu suorum, disturbari tecta, diripi fortunas, patriae denique causa patriam ipsam amittere, spoliari populi Romani beneficiis amplissimis, praecipitari ex altissimo dignitatis gradu, videre praetextatos inimicos nondume morte complorata arbitria petentis funeris: haec omnia subire conservandorum civium causa, atque id cum dolenter adsis non tam sapiens quam ii qui nihil curant, sed tam amans tuorum ac tui quam communis humanitas postulat, ea laus praeclara atque divina est. Nam qui ea quae numquam cara ac iucunda duxit animo aequo rei publicae causa deserit, nullam benivolentiam insignem in rem publicam declarat; qui autem ea relinquit rei publicae causa a quibus cum summo dolore diuellit, ei cara patria est, cuius salutem caritati anteponit suorum.

*Ov. trist. 1,1,1-4, 15f., 57-60, 69-74*

Parue - nec inuideo - sine me, liber, ibis in urbem,

ei mihi! quo domino non licet ire tuo.

uade, sed incultus, qualem decet exulis esse;

infelix, habitum temporis huius habe.

...

uade, liber, uerbisque meis loca grata saluta;

contingam certe quo licet illa pede.

...

tu tamen i pro me, tu, cui licet, aspice Romam -

di facerent, possem nunc meus esse liber!

nec te, quod uenias magnam peregrinus in urbem,

ignotum populo posse uenire puta.

...

forsitan expectes an in alta Palatia missum  
    scandere te iubeam Caesareamque domum.  
ignoscant augusta mihi loca dique locorum!  
    uenit in hoc illa fulmen ab arce caput.  
esse quidem memini mitissima sedibus illis  
    numina, sed timeo quae nocuere loca.

*Suet. Aug. 72, 1*

In ceteris partibus vitae continentissimum constat ac sine suspitione ullius vitii. Habitavit primo iuxta Romanum Forum supra Scalas anularias, in domo quae Calvi oratoris fuerat; postea in Palatio, sed nihilo minus aedibus modicis Hortensianis, et neque laxitate neque cultu conspicuis, ut in quibus porticus breves essent Albanarum columnarum et sine marmore ullo aut insigni pavimento conclavia.

*trist. 3, 4b, 1-16*

Proxima sideribus tellus Erymanthidos Ursae  
    me tenet, adstricto terra perusta gelu.  
Bosporos et Tanais superant Scythiaeque paludes  
    vixque satis noti, nomina rauca, loci.  
ulterius nihil est nisi non habitabile frigus:  
    heu quam vicina est ultima terra mihi!  
at longe patria est, longe carissima coniunx,  
    quidquid et haec nobis post duo dulce fuit.  
sic tamen haec absunt ut, quae contingere non est  
    corpore, sint animo cuncta videnda meo.  
ante oculos errat gratorum forma locorum,  
    acceduntque suis singula facta locis.  
coniugis ante oculos, sicut praesentis, imago est;  
    illa meos casus ingravat, illa levat:  
ingravat hoc, quod abest; levat hoc, quod praestat amorem,  
    inpositumque sibi firma tuetur onus.

*trist. 5, 10, 33-38, 17-27*

hos quoque, qui geniti Graia creduntur ab urbe,  
    pro patrio cultu Persica braca tegit.  
exercent illi sociae commercia linguae:  
    per gestum res est significanda mihi.  
barbarus hic ego sum, qui non intellegar ulli,  
    et rident stolidi verba Latina Getae.

...

nil extra tutum est; tumulus defenditur aegre  
    moenibus exiguis ingenioque loci.  
cum minime credas, ut aves, densissimus hostis  
    advolat, et praedam vix bene visus agit.  
saepe intra muros clausis venientia portis

per medias legimus noxia tela vias.  
est igitur rarus, rus qui colere audeat, isque  
hac arat infelix, hac tenet arma manu.  
sub galea pastor iunctis pice cantat avenis,  
proque lupo pavidae bella verentur oves.  
vix ope castelli defendimur, et tamen intus  
mixta facit Graeis barbara turba metum.

*trist.* 1,3,11f.; 29-34, 61f.

non aliter stupui quam qui Iouis ignibus ictus  
uiuuit et est uitae nescius ipse suae.

...

hanc ego suspiciens et ab hac Capitolia cernens,  
quae nostro frustra iuncta fuere lari,  
'numina uicinis habitantia sedibus,' inquam  
'iamque oculis numquam templa uidenda meis,  
dique relinquendi, quos urbs habet alta Quirini,  
este salutati tempus in omne mihi.

...

denique 'quid propero? Scythia est quo mittimur,' inquam  
'Roma relinquenda est: utraque iusta mora.

*trist.* 3,1,19-22, 27-34, 69-72

'dicite, lectores, si non grave, qua sit eundum,  
quasque petam sedes hospes in urbe liber.'  
haec ubi sum furtim lingua titubante locutus,  
qui mihi monstraret, vix fuit unus, iter

...

paruit, et ducens 'haec sunt fora Caesaris' inquit;  
'haec est a sacris quae via nomen habet;  
hic locus est Vestae, qui Pallada servat et ignem;  
haec fuit antiqui regia parua Numae.'  
inde petens dextram, 'porta est' ait 'ista Palati;  
hic Stator, hoc primum condita Roma loco est'.  
singula dum miror, video fulgentibus armis  
conspicuos postes tectaque digna deo.

...

altera templa peto, vicino iuncta theatro:  
haec quoque erant pedibus non adeunda meis.  
nec me quae doctis patuerunt prima libellis,  
Atria Libertas tangere passa sua est.

*trist.* 3,2,21f.

Roma domusque subit desiderium que locorum,  
quidquid et amissa restat in urbe mei.

*trist. 3,12,17-26*

otia nunc istic, iunctisque ex ordine ludis  
cedunt uerbosi garrula bella fori;  
nunc est lusus equi, leuibus nunc luditur armis,  
nunc pila, nunc celeri uertitur orbe trochus;  
nunc ubi perfusa est oleo labente iuuentus,  
defessos artus Virgine tinguit aqua.  
scaena uiget studiis que fauor distantibus ardet,  
proque tribus resonant terna theatra foris.  
o quater et quotiens non est numerare beatum,  
non interdicta cui licet urbe frui!

*trist. 4,2,1-14, 25-29, 37-46, 55-72*

Iam fera Caesaribus Germania, notus ut orbis,  
uicta potest flexo succubuisse genu,  
altaque uelentur fortasse Palatia sertis,  
turaque in igne sonent inficiantque diem,  
candidaque adducta collum percussa securi  
uictima purpureo sanguine pulset humum,  
donaque amicorum templis promissa deorum  
reddere uictores Caesar uterque parent  
et qui Caesareo iuuenes sub nomine crescunt,  
perpetuo terras ut domus illa regat,  
cumque bonis nuribus pro sospite Liuia nato  
munera det meritis, saepe datura, deis;  
dent pariter matres et quae sine crimine castos  
perpetua seruant uirginitate focos.

...

quorum pars causas et res et nomina quaeret,  
pars referet, quamuis nouerit illa parum:  
'hic, qui Sidonio fulget sublimis in ostro,  
dux fuerat belli, proximus ille duci.

...

hic lacus, hi montes, haec tot castella, tot amnes,  
plena ferae caedis, plena cruoris erant.  
Drusus in his meruit quondam cognomina terris,  
quae bene progenies, digna parente, tulit.  
cornibus hic fractis, uiridi male tectus ab ulua,  
decolor ipse suo sanguine Rhenus erit.  
crinibus en etiam fertur Germania passis,  
et ducis inuicti sub pede maesta sedet,  
collaque Romanae praebens animosa securi,  
uincula fert illa, qua tulit arma, manu'.

...

inde petes arcem, delubra fauentia uotis,  
et dabitur merito laureaserta Ioui.  
haec ego submotus, qua possum, mente uidebo:  
erepti nobis ius habet illa loci;  
illa per immensas spatiatur libera terras,  
in caelum celeri peruenit illa fuga;  
illa meos oculos mediam deducet in urbem,  
inmunes tanti nec sinet esse boni,  
inuenietque uiam, qua currus spectet eburnos:  
sic certe in patria per breue tempus ero.  
uera tamen capiet populus spectacula felix,  
laeta que erit praesens cum duce turba suo:  
at mihi fingenti tantum, longeque remoto,  
auribus hic fructus percipiendus erit,  
aque procul Latio diuersum issus in orbem,  
qui narret cupido, uix erit, ista mihi;  
is quoque iam serum referet ueteremque triumphum:  
quo tamen audiero tempore, laetus ero.